



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 76. Vtrum effectus reprobationis formaliter consideratae sint permissio peccatorum damnatio, & negatio beneficiorum, quorum subtractione reprobi certissimè videntur damnandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

se omnium effectuum prædestinationis; sed Deus non est auctor, neque causa per se peccatorum; ergo &c. Quod permissio peccatorum sit effectus prædestinationis, probatur. Nam Deus permittit peccata, ut prædestinatis cooperentur in bonum, ideoque Apostolus ad Roman. 8. dicit: *Scimus, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* is, qui secundum propositum vocati sunt sancti; ergo Deus peccata permittit ex intentione efficaci, ut prædestinatis cooperentur ad salutem; ergo talis permissio est beneficium prædestinatis collatum ex intentione efficaci, ut illis prosit ad salutem, ac proinde est effectus prædestinationis. Debet autem aduerti, quod si nomine permissionis peccatorum intelligatur voluntas, qua Deus vult permittere peccata, ut electis prosint ad salutem, talis voluntas non est effectus prædestinationis, sed est ipsa voluntas prædestinativa. Dum ergo dicimus permissionem peccatorum esse effectum prædestinationis, nomine permissionis intelligimus constitutionem creaturarum rationalium in circumstantiis, in quibus Deus videt illas peccaturas; & hanc constitutionem dicimus esse effectum prædestinationis ex ratione allata.

15. Inferitur septimò contra Caietanum, allatum num. 6. in texto argumento etiam bona, & beneficia naturalia, puta existentiam, indolem, ingenium &c. esse effectus prædestinationis, non solum secundum ordinationem ad finem supernaturalem, sed etiam secundum substantiam talium bonorum. Ratio est, quia Deus etiam dona naturalia confert prædestinatis ex intentione efficaci, ut illis prosint ad salutem. Non tamen per hoc negamus, quod sint etiam effectus providentiæ communis, cum etiam conferantur ad hoc, ut conducant ad finem providentiæ communis. Confirmatur: nam ad Rom. 8. dicitur: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* is, qui secundum propositum vocati sunt sancti; ergo prædestinatis etiam bona naturalia cooperantur in bonum. Videri potest Ruiz disput. 24.

16. Addo, quod quia dona naturalia, puta ingenium, indoles &c. per accidens solum conferunt ad finem supernaturalem vitæ æternæ, dona autem supernaturalia per se conferunt ad salutem; ideo dona naturalia sunt effectus per accidens, dona autem supernaturalia sunt effectus per se prædestinationis.

17. Ad 1. & 2. nego maiorem. Prædestinatio enim non solum est præparatio mediorum, quibus prædestinati consequuntur beatitudinem, sed etiam est præparatio ipsius beatitudinis, ac proinde tum beatitudo ipsa, tum dona gratiæ, & uniuersum beneficia Dei, per quæ beatitudinem infallibiliter consequuntur, sunt effectus prædestinationis, ut explicatum est num. 10.

18. Ad 3. nego minorem, ac dico actus nostros liberos, etiam in quantum sunt nobis liberi, esse dona Dei, qui facit, ut liberè agamus,

ac proinde esse effectus prædestinationis, ut explicatum est num. 11.

19. Ad 4. nego minorem, ac dico, quod gratia, & merita per peccatum amittenda, in prima collatione dantur à Deo ex intentione efficaci, ut reuiuifcant, & ut conferant ad salutem prædestinatorum, ac proinde ex modo, quo dantur, non sunt communia prædestinatis, & reprobis, sed propria prædestinatorum, & sunt effectus prædestinationis ut explicatum est num. 13.

20. Ad 5. nego minorem, ac dico, quod permissio peccati, in quantum est constitutio hominis in circumstantiis, in quibus videtur peccaturus, ex intentione efficaci ut prosit prædestinatis ad salutem, est beneficium Dei, ut dictum est num. 14. Dum opponitur, quia possemus a Deo petere, ut permittat peccata, respondeo hoc negando. Ratio est, quia sicut peccatum quidem est malum, sed bonum est, ut Deus peccata permittat, sic Deum peccata permittere est bonum, sed malum est, ut creatura petat talem permissionem. Creatura enim obligatur ad peccata impedienda, vel saltem ad non procurandum, & petendum eorum permissionem.

21. Ad 6. nego maiorem, ac dico providentiæ naturalem non debere esse priorem supernaturali. Deus enim sicut simul debet omnia decernere, ut dictum est quæst. 69. sic debet simul decernere per providentiæ naturalem, & supernaturalem.

QVÆSTIO LXXVI.

Verum effectus reprobationis formaliter considerate sint permissio peccatorum, damnatio, & negatio beneficiorum, quorum subtractione reprobi certissime videntur damnandi?

1. **P**rimò videtur, quod non solum permissio peccatorum, sed ipsa peccata sint effectus reprobationis. Merita enim, propter quæ prædestinati saluabuntur, sunt effectus prædestinationis, ut dictum est quæst. 75. numer. 12; ergo demerita, propter quæ reprobi damnabuntur, sunt effectus reprobationis.

2. Secundò poena peccati est effectus reprobationis; sed peccata præsertim quæ à reprobis committuntur in statu damnationis, erunt poena peccatorum commissorum in viis ergo.

3. Tertiò videtur permissio peccati originalis non esse effectus reprobationis, ut docet Ruiz disput. 28. sect. 5. numer. 4. citans etiam Suarium lib. 5. de Reprobatione, cap. 7. num.

14. Nam peccatum originale est causa reprobationis eorum hominum, qui reprobantur; ergo permissio peccati originalis ut potè præcedens peccatum originale, non potest esse effectus.

esse effectus reprobationis eorumdem hominum.

4. Quartò videtur permissio peccatorum personalium non esse effectus reprobationis eorum, qui damnantur propter peccata personalia ab ipsis commissa, vt docent plures auctores, quos refert Ruiz disput. 38. sect. 7. numer. 1. Peccata enim personalia, propter quæ reprobi damnantur, sunt causa reprobationis eorumdem; ergo permissio talium peccatorum non potest esse effectus reprobationis.

5. Quintò videtur non solum negatio beneficiorum, sed ipsa etiam beneficia tum naturalia, tum supernaturalia reprobis concessa esse effectus reprobationis eorumdem. Sicut enim effectus prædestinationis sunt omnia, quæ Deus ita facit, vt videat prædestinatis cooperatura ad salutem, sic effectus reprobationis sunt omnia, quæ Deus ita facit, vt videat reprobis cooperatura ad damnationem; sed sicut omnia, etiam mala, iustis cooperantur ad salutem, sic omnia, etiam bona, reprobis ex culpa ipsorum cooperantur ad damnationem; ergo &c. Probatur minor ex Augustino in soliloquijs cap. 8. vbi loquens de reprobis dicit: *Quibus omnia cooperantur in malum, & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum, & ex Chrysostomo ad Rom. 8. vbi explicans illa verba: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, dicit: Quænammodum autem diligentibus Deum, quæ nocitura videntur, ad utilitatem cedunt, ita vicissim Deum non diligentibus, quæ profutura videntur, damna sunt. Sic Iudeos & signorum ostensio, & dogmatum restituendo, doctrinæque philosophia perdidit. Nam propter illa quidem demoniacum Christum vocabant, propter ista Deo contrarium.*

6. Respondeo, quod sicut effectus prædestinationis sunt liberatio, & salus, & omnia beneficia, quibus prædestinati certissime liberantur, & saluantur, sic effectus reprobationis formaliter consideratæ, sunt damnatio, & negatio beneficiorum, quibus reprobi certissime saluarentur, & ex quorum subtractione Deus videt, quod sua culpa certissime peccabunt, & perseverantes finaliter in peccato, damnabuntur.

7. Ex tradita doctrina descendendo ad explicandos in particulari effectus reprobationis, infertur primò, quod sicut salus, & æterna beatitudo est effectus præcipuus prædestinationis, sic negatio salutis, & æternæ beatitudinis, ac damnatio est effectus præcipuus reprobationis, vt docet Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 5. Magister distinct. 40. & 41. & cum eo omnes Scholastici, ac S. Thomas 1. par. quæst. 23. art. 3. Suarius lib. 5. de Reprob. cap. 7. num. 4. & alij apud Ruiz disp. 38. sect. 6. num. 1. Ratio est, quia sicut prædestinatio includit voluntatem efficacem dandi salutem, & beatitudinem, sic reprobatio includit voluntatem efficacem excludendi à salute, & à beatitudine, ac in æternum damnandi propter demerita; ergo sicut salus, & beatitudo sunt effectus

prædestinationis, quia sunt effectus voluntatis saluandi, quæ includitur in prædestinatione; sic damnatio, & exclusio à salute, sunt effectus reprobationis, quia sunt effectus voluntatis damnandi, & excludendi à salute propter demerita.

8. Infertur secundò, quod licet merita, per quæ prædestinati saluantur, sint per se effectus prædestinationis, tamen demerita, & peccata, propter quæ reprobi damnantur, non sunt effectus reprobationis, vt docent communiter Scholastici cum Magistro in 1. dist. 41. cap. ultimo, & cum S. Thoma 1. par. quæst. 23. art. 3. & ultimo. Ratio est, quia ideo merita sunt per se effectus prædestinationis, quia Deus prædestinans ad beatitudinem, per se etiam intendit, & causat in prædestinatis merita, quibus consequentur beatitudinem; sed Deus reprobans non per se intendit, neque causat in reprobis peccata, & demerita, propter quæ damnantur, sed illa solum permittit; ergo demerita, & peccata non sunt effectus reprobationis. Quia tamen reprobatio est præscientia, & permissio demeritorum, propter quæ reprobi certissime damnabuntur, concedi potest demerita esse effectus, non quidem per reprobationem causatos, sed pure permittos. E conuerso iusta reprobationis damnatio propter demerita est effectus per reprobationem causatus ex suppositione demeritorum; & ex eadem ratione cætera mala poenæ, & vniuersim omnia bona consequentia ex peccatis reprobationis, sunt effectus reprobationis; siquidem Deus permittit peccata ex intentione talium bonorum. Vt enim dicit Augustinus lib. 1. confes. cap. 12. *Iussit Deus, & sic est, vt poena sua sibi sit omnis inordinatus animus.* Hinc sequitur, quod sicut peccatum habituale, in quantum supra peccatum actuale addit eius moralem perseuerantiam, quæ consistit in priuatione gratiæ, seu aptitudinis ad finem, habet rationem poenæ à Deo volitæ, sic secundum talem priuationem est effectus reprobationis, vt bene concedit Ruiz disp. 38. sect. 2. num. 4.

9. Infertur tertio, quod licet peccata ipsa non sint effectus reprobationis, tamen permissio peccatorum, in quantum est subtractio, ac negatio gratiæ, quæ negata, creaturæ rationales videntur peccaturæ, est effectus reprobationis. Ratio est, quia ideo ipsa peccata non sunt effectus reprobationis, quia non sunt effectus Dei reprobantis; sed permissio in sensu explicato est effectus Dei reprobantis, & permittentis peccata ex intentione eliciendi ex ipsis bonum iustitiæ vindicatiue in iustissima damnatione reprobationis; ergo. Et quia etiam peccatum originale permittum fuit à Deo vidente illud fore occasionem damnationis reprobationis, & ex intentione eliciendi ex ipso bonum iustitiæ vindicatiue, ideo etiam permissio peccati originalis fuit effectus reprobationis reprobationis, vt docet Marsilius, Banez, Zumel, Molina, & Suar. lib. 5. de Reprob. cap. 5.

10. In-

10. Infertur quartò beneficia diuina tum naturalia, tum supernaturalia non esse effectus reprobationis formaliter considerata, sed solū reprobationis materialiter considerata. Probatur. Nam, sicut effectus prædestinationis formaliter considerata sunt salus, & beneficia, per quæ prædestinati videntur certissimè saluandi, sic effectus reprobationis sunt damnatio, & negatio beneficiorum, per quæ reprobi certissimè saluarentur, & per quorum subtractionem certissimè videntur damnandi. Quia tamen Deus eadem voluntate, qua vult reprobis negare beneficia, per quæ saluarentur, vult illis dare aliqua alia beneficia tum naturalia, tum etiam supernaturalia, per quæ possent saluari; beneficia autem collata reprobis sunt effectus huius voluntatis; ideo etiam beneficia collata reprobis sunt effectus reprobationis, non quidem formaliter, sed materialiter, & identicè considerata.

11. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas patet ex dictis n. 8. Merita enim per se intenduntur, & causantur à Deo prædestinante, ideoque sunt per se effectus prædestinationis: peccata autem, & demerita non per se intenduntur, neque causantur à Deo reprobande, sed purè permittuntur vt causanda à peccatoribus, ac proinde non sunt effectus reprobationis.

12. Ad 2. concedo maiorem, & distinguo minorem: peccata, præsertim quæ à reprobis committuntur in statu damnationis, erunt propriè, & formaliter poena peccatorum commissorum in via, nego: erunt poena consecutiua, & minus propriè, concedo: & distinguo eodem pacto consequens. Ad poenam propriam requiritur, vt intendatur, & ponatur à iudice contra voluntatem patientis; sed Deus non potest intendere, & ponere peccata; ergo peccata propriè non possunt esse poena. Poena consecutiua, & impropria est malum, quod licet iudex non intendat, neque ponat, tamen præuidet secuturum ex poena intentata, & nihilominus illud permittit, quia reus dignus est tali permissione; sed Deus licet non intendat peccata à reprobis committenda in inferno, tamen videt illa necessitate morali secutura, ex poena damnationis, subtractionis gratiæ &c. & nihilominus illa permittit, quia damnati digni sunt tali permissione; ergo &c. Sicut peccata damnatorum non sunt propriè poena, sic non sunt propriè effectus reprobationis, sed possunt dici effectus per reprobationem permitti, & ex effectibus reprobationis consequentes, vt dictum est num. 8.

13. Ad 3. & 4. nego minorem. Peccatum enim originale, & peccata personalia non sunt causa reprobationis, vt dicitur quæst. 79. ac proinde possunt esse effectus reprobationis.

14. Ad 5. nego maiorem, ac dico, quod licet beneficia, quæ Deus ita confert, vt videat prædestinatis cooperatura ad salutem, sint effectus prædestinationis formaliter considera-

tæ, tamen beneficia, quæ ita confert, vt videat reprobis cooperatura ad damnationem, non sunt effectus reprobationis formaliter, sed solū materialiter considerata. Ratio est, quia prædestinatio formaliter considerata est voluntas conferendi beneficia, per quæ prædestinati videntur saluandi; ergo beneficia, per quæ videntur saluandi, sunt effectus prædestinationis formaliter considerata. At reprobatio est voluntas negandi beneficia, per quorum negationem videntur reprobi sua culpa damnandi; voluntas autem conferendi beneficia, per quæ possint saluari, solū materialiter includitur in reprobatione, vt dictum est num. 10; ergo sola negatio beneficiorum, est effectus reprobationis formaliter considerata, beneficia verò ipsa sunt effectus reprobationis solū materialiter considerata.

QVÆSTIO LXXVII.

Virum Deus electos ad gloriam, & ad beatitudinem prædestinet ante merita finalia absolute præuisa?

1. **E**X vna parte videtur Deus electos prædestinare ad gloriam, & ad beatitudinem ante eorum merita finalia absolute præuisa: primò quia hoc expressè docuit Augustinus pluribus locis, quæ videri possunt apud Ruiz. de prædestinatione, disput. 10. sect. 2. & sequentibus.

2. Secundò, & est fundamentum Scoti, & Scotistarum, ordinatè volens prius vult efficaciter finem, deinde vult media conducentia ad talem finem; sed Deus gloriam, & beatitudinem electorum intendit vt finem, gratiam autem ad merendum, & ipsi merita vult vt media, per quæ consequantur finem beatitudinis; ergo Deus prius vult gloriam, & beatitudinem electorum, deinde vult illis dare gratiam ad merendum, & merita, ac ipsa merita præuidet vt absolute existentia.

3. Tertiò ex alia parte videtur Deus prædestinare electos ad gloriam, & beatitudinem solū post eorum merita finalia absolute præuisa. Vt enim arguit Vasquez 1. parte disp. 89. cap. 9. num. 76. stultus esset Rex, qui proponens præmium vt dandum solis legitimè certantibus, decerneret illud dare huic determinatè, antequam videret illum legitimè certaturum; sed Deus gloriam, & beatitudinem proponit vt præmium, & brauium dandum solis legitimè certantibus, & vsque in finem perseverantibus; ergo non decernit absolute dare beatitudinem vlli adulto, nisi postquam videt illos legitimè certaturos, & vsque ad finem perseveraturos.

4. Quartò si voluntas efficax dandi gloriam vt coronam antecederet merita, & eorum præuisionem, esset independens à meritis,

tis,